

Lutjet themelore (latinisht)

In Nomine Patris, et Filii, et Spíritus Sancti Amen.

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum; qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus; descéndit ad ínferos; tértia die resurréxit a mórtuis; ascéndit ad cælos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipoténtis; inde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiám cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiόnem, vitam ætérnam. Amen.

Gloria Patri et Fílio, et Spíritui Sancto.

Sicut erat in princípío et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Pater noster,

qui es in cælis; sanctificétur nomen tuum; advéniat regnum tuum; fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie; et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris; et ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos a malo. Amen.

Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum; benedícta tu in mulièribus et benedíctus fructus ventris tui, Iesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

Angelus Domini nuntiavit Mariæ; Et concepit de Spíritu Sancto.

Ave, María, gratia plena, ...

Ecce Ancilla Domini; Fiat mihi secundum verbum tuum.

Ave, María, gratia plena, ...

Et Verbum caro factum est; Et habitávit in nobis.

Ave, María, gratia plena, ...

Ora pro nobis Sancta Dei Génitrix; Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Orémus : Grátiam tuam, quæsumus, Domine, méntibus nostris infúnde ut qui Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem eius et crucem ad resurrectiόnis glóriam perducámur. Per eúndem Christum Dominum nostrum. Amen.

Regína cæli lætáre, allelúia.

Quia, quem meruísti portare, allelúia.

Resurréxit, sicut dixit, allelúia.

Ora pro nobis Deum, allelúia.

Gaude et lætáre, Virgo María, allelúia.

Quia surréxit Dóminus vere, allelúia.

Orémus: Deus, qui per resurrectiόnem Fílii tui, Domini nostri Iesu Christi, mundum lætificáre dignátus es; præsta, quesumus, ut, per eius Genitricem Virginem Mariám, perpétuæ capiámus gáudia vitæ. Per eúndem Christum Dominum nostrum. Amen.

Salve, Regína,

Mater misericórdiæ; vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus, éxules fílii Evæ. Ad Te suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eia ergo, advocáta nostra, illos tuos, misericordes oculos ad nos convérte. Et Iesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo, María.

Requiem æternam dona eis, Domine; Et lux perpetua luceat eis.

Requiescant in pace. Amen.